



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Clericus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

## S. Clericus.

## PARAPHRASIS.

Si Clericus, contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneo aliquo Aduocatus, vel Procurator existat, tanquã ingratus beneficio priuari debet.

**R**atio huius est, quia etiam vasallus beneficio feudi priuatur, si contra dominum suum militauerit, lib. 2. feudorum, tit. 24. Quæ fuit prima causa feudi amittendi. Aduocati autem militibus comparantur, cum per eos hominum vita, & patrimonium defendantur, l. Aduocati, 14. C. de Aduocatis & c. Eademque ratione, si Aduocatus contra alium donatorem suum patrocinium alicui præstet, donatio illi facta ob ingratiitudinis notam reuocari potest, sicuti tradit Abb. hic n. 2. Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 88. n. 6. argum. huius textus, & c. ult. de donat.

Sed excipi debet primò, Nisi Superioris præceptum, idè quæ necessitas quædam co-

gat. Quæ tamen facillè imponi non debet Aduocatis, vt contra dominos, aut insignes benefactores suos operam suam in iudicio præstare cogantur.

Excipi debet secundò argum. huius textus; Si pro persona sibi coniuncta postulet: perinde enim censetur, ac si propriam causam ageret. Quæ de re Specul. lib. 1. p. 4. tit. de Aduocato, §. 1. n. 30. Ioan. Andr. hic n. 7.

Illud in quæstione est, vtrum Aduocatus patrocinium præstare possit contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, vt paratus sit causas eius defendere, si vocetur. Afirmat Abb. hic n. 3. Quia salarium Aduocatus non accipit vt donum, seu beneficium, sed tanquam meritum, seu mercedem. Sed contrarium docent Bartol. in l. 2. C. Aduocatis diuers. iudicium, Andr. Gaill loco cit. Et hæc sententia in praxi apud nos viget, quòd ea conditione expressa, vel tacita conditione salarium annuum Aduocato constituatur, vt contra constituentem aduocare ipsi non liceat, nisi Superioris, seu Principis præceptum cogat.

## TITVLVS XXXVIII. DE PROCVRATORIBVS.



Vomodo Procurator ad lites differat ab Aduocato, leges in Theol. morali lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator, & n. 8.

## CAPITVLVM I.

## Alia.

## PARAPHRASIS.

Cum Episcopi Salonitani causa Romæ decidenda esset, quidam eò accesserunt, vt causam eius prosequerentur: Sed Episcopus

rescripsit, se illos non misisse, idè quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem cum idem Episcopus alios submitteret, neque ipsis fidem habendam esse iudicauit Gregor. I. Pontifex, eò quòd mandatum procuratorum exhibere non potuerint. Mandatum itaque idem Gregorius, vt personam instructam cum mandato legitimo, subscriptionibus Capituli, & testium raborato, alijsque actis authenticis transmittat: vt quidquid cum tali procuratore actum fuerit, de iure subsistat.

SVM.